UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

PROPOSITIO XX.

SOlam fidem respicit Deus. Omnes homines duos habẽt iudices, Deum & homines, duobus ergo modis debemus iustificari, fide coram Deo, charitate corã hominibus.

CENSVRA.

DEus respicit fidem, sed non solam, respicit humilitem, orationem, munera, clamorem, lachrymas, opera, non secus quàm fidem.

CONDEM. CENSVRAE.

HOmo duplex est, internus, externus. 2. Cor. 4. & cuius duos habet iudices, Deum & homines. Deus internum hominem respicit, homines externum. Deus fidem respicit, Iere. 5. homines charitatẽ. Deus ex fide æstimat, & ponderat opera, prius enim respicit ad personæ fidem, & si persona placet fide, placent & opera personæ. Respicit primum ad Abel, dehinc ad munera eius, Gene. 4. Hebræ. 11. Aliud est Dei iudicium, aliud hominum. Deus cum sit scrutator cordiũ et renum, cordis abyssum intuetur. Homo uero ea quæ patent, qui cum cor introspicere nequeat, ex operibus iudicat fidem perinde atq; arborem ex fructibus. Porro oratio fructus est fidei, humilitas, pauperculus spiritus, fidẽ deliniant. Si persona accepta est fide, placẽt Deo & eius opera, respicit personam, approbat eius opera. Nam quẽadmodum quicquid nõ est ex fide peccatum est, ita quicquid proficiscitur ex fide iusticia est ex Deo acceptum. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, Matt. 6. & 23. Cæce Pharisæe, munda prius quod intus est, & exteri

2. Cor. 4.

Ierem. 5.

Genes. 4.

Hebre. 11.

Matth. 6. et 23.